NONNULLA
AD

CHOLERAE MORBI PATHOLOGIAM ET THERAPIAM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORIBUS RITE CAPESSENDIS
DIE XXVIII. M. FEBRUARII A. MDCCCXXXII.
H. L. Q. S.
PALAM DEFENDET
AUCTOR

CAROL. HENR. FERDIN. FALKENTHAL
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

EDUARDO DETROIT, MED. ET CHIR. DR.
GUSTAVO BOER, MED. ET CHIR. DR.
FRIDERICO LIEBENOW, PHILOSOPHIAE CAND.

BEROLINI, TYPIS FERDINANDI NIETACK.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, ORNATISSIMO,

CAROLO GUIL. ULRIC. WAGNER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE: NEC NON PHILOSOPHIAE DOCTORI, UNIVERSITATIS LITERARIAE FRIDERICAE GUILELMAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, PHYSICO FORENSI APUD BEROLINENSES, EX SUPREMIS IN RE MEDICA EXAMINATORIBUS, ITEMQUE ACADEMIARUM ET SOCIETATUM LITERARIARUM QUAE SUNT LONDINI, BEROLINI, PARISIIS, MARBURGI, ETC. SODALI, ETC. ETC.

PRAECEPTORI MAXIME VENERANDO,

PATRONO DE SE MERITISSIMO

OB

EXIMIA IN SE COLLOCATA BENEFICIA

NEC NON

AVUNCULO OPTIMO, DILECTISSIMO,

PATERNO AMICO,

DE SE MAXIME MERITO,

JOANNI BENEDICTO PHIL. GABRIEL,

AD CINERES USQUE COLENDO.

HAS QUALESCUNQUE PAGELLAS

PIO GRATOQUE MENTE

CONSECRAT

AUCTOR.

LECTORI BENEVOLO.

Optime scio, quanti momenti res sit, quam sum tractaturus: quantae et quam ingenti libellorum copiae schedas hasce adjiciam. Spero tamen fore, lector benevole, ut audaciae meae, quae tantam sibi arrogaverit rem, ignoscas, quum audiveris, quibus et quantis incitamentis ad eam rem prae aliis eligendam et elaborandam sim porpulsus.

Quum enim saevus ille morbus ad patriam nostram magis magisque in dies appropinquaret; quum diversis jam locis atroci pede fines nostros transgredi conaretur; quum aquilarum Borussiae splendore, terribili acie in finibus jampridem instructarum, percussus, ultra procedere non auderet; quum uti dux, qui hostium apparatu exterritus, spe omni per locum delectum in

hostium fines irrumpendi amissa, copias ad alium indefensumque locum explorandum reducit, — quum igitur tali modo, minime fines nostros ad Poloniam, patentem vero oram, incustoditum Gedanum, atrox ille morbus invaderet: tum viri spectatissimi ad choleram morbum avertendum, resque necessarias administrandas, sapientia benignissimi et clementissimi regis nostri instituti, Wagnerum illum, virum doctissimum et spectatissimum, mense Julio in illas miserunt regiones, ut tanti viri lumine res obscurissima quam maxime illustraretur.

In itinere illo, quod ad mensem Septembrem usque est productum, Ill. Wagnerum comitari mihi licuit. Non possum hic non commemorare viri illius comitatem et humanitatem, quibus duos fere per annos frui, sors benigna mihi concessit, gratiasque agendo diis, qui talis tantique viri usu dignum me censuerint, pio gratoque animo precor, ut sit mihi aliquando copia factis declarandi, quanta mea in eum sit veneratio, quanta pietas, et quam penitus amore et observantia erga eum sim imbutus.

Comes itineris fuit quoque vir militaris, ordinis superioris, de Beelow nominatus, cui palam hoc loco gratias agere impellor, comitatis erga, qua usum et familiaritatem suam mihi permisit.

Quamquam enim ad rem illam non imparatus accesseram, illorum tamen virorum sermonibus, illorum ratione rerum comprehendarum, quae

ingeniosis propria viris, multo liberius judicium meum evasit, multisque opinionibus praejudicatis, quibus tam libenter indulgemus, sum expeditus. Illis viris debeo, si multa vidi, si bene inspexi. Tantis incitamentis impulsus, choleram morbum argumentum dissertationis meae delegi. Quam ob rem quae vidi, quae ex sermonibus medicorum peritorum, qui morbum illum diversis locis examinaverant, didici, accuratissime notavi. Simulque mihi proposui, nihil nisi visa referre, lecta vero oblivisci, novaque de ea materia scripta omnino non legere. Ad lectulos enim aegrorum adgressus, doctorum theorias inspicere, quum inciperem, mox intellexi: aliud esse pulcre et diserte, aliud vere scribere, simulque vidi, quam esset arduum, doctrinis, summa eloquentia exhibitis, resistere, integrumque sibi judicium retinere. Amplius quadringentos cholera morbo afflictos Regiomontii, Konitzi, Berolini et aliis locis observavi, et nihil nisi quod ex iis vidi et didici, tibi sum oblaturus, lector benovole.

At enim „quae tiro observaverit? Tecum reputes, quaeso, me a celeberrimis viris arte accedendi aegrorum lectum esse instructum; perpendas, me, aegris illis miserrimis Perillust. Wagnero duce appropinquasse; adjicias, Regiomontii favore multorum medicorum me esse gavisum, virorum eruditissimorum, qui summa humanitate me ad aegros illos perduxerint, meam-

que juventutem omni eruditionis copia adjuverint, qua essent instructi: quae cum bene consideraris, majorem fortasse fiduciam in me collocabis.

De corporum vero sectionibus, quae sum dicturus, fructus sunt plus quam viginti sectionum, quas partim ipse perfeci, partim spectator attentus inspexi.

Si tu vero, qui aegros tales visisti meas affirmaveris absérvationes, tu quidem, qui nondum eos visisti, quum ad lectum infelicis talis adieris, dictorum meorum veritatem agnoveris; tum assecutus ero, quae cupiveram. Ceterum abs te peto, ut grato et benevolo animo, quae in album proponere ausus sim accipias, neve ea lege, qua veteranus veteranorum labores pendere consueveris, imbecillum tironis opus dijudices.

NONNULLA
AD
CHOLERAE MORBI PATHOLOGIAM ET THERAPIAM.

Cholera — (χολερα) — peracutissimus morbus, circulationis funditus afflictae, et actionis periphericae, prorsus turbatae, imaginem ante oculos ponit, functionum systematis gangliorum oppressione partam, et statim initio apparet per collapsum universalem; per turgoris vitalis tabem; per solutionem et commutationem singularem faciei (per faciem cholericam) et vocis (per vocem cholericam); per frigorem et colorem subnigrum cutis; per deficientes arteriarum pulsus; per spasmos tonicos extremitatum, imprimis cruris, per effluvium, modo minus, modo magis frequens materiae subalbae, pituitosae, caseosae, bile carentis, ex ore et ano defluentis; et per urinam, sine incommodo impeditam, (Dysuria). Definitio.

Aegri adspectus videntem acriter commovet, alte enim in hujus pectus descendit et inustus ibi manet repositus. Si, quae videas, considerare velis singulatim, nihil novi tibi obviam veniet, multi enim alii morbi offerunt eadem; sed terribilis illa vis, morbo illi peculiaris, omnibus deerit. Daemon terroris, daemon mortis misero tali imminere videtur, et in nos etiam, qui alarum atrocium stridorem audimus, vim exanimantem suam injicere conatur, vim, quae sentiri quidem sed non describi potest. Quam ob rem neutiquam Symptomatologia.

2

mihi assumo, me terribile illud, quod verbis exprimi non potest, imagini miseri talis quam nunc sum depicturus, esse adjecturum.

Signa prodroma. Cholera morbus subito saepe et acriter ingruit; praecedunt tamen plerumque sensus lassitudinis; inclinatio ad sudorem; tensio, morsus vel ardor ventriculi; ructus acidi, amari, foetidi, nauseosi; lingua tenui atque flavescente muco obtecta; gustus amarus et insulsus; ciborum aversatio, anorexia; nausea; screatio et sputatio frequens; molestia praecordiorum; ventris strepitus (βορβορυγμός); dolores colici pungentes; alvi fluxio; vertigo, aurium susurrus, gravitas et obnubilatio capitis *).

---

*) Nota. Vix mentione opus esse opinor, me symptomata illa ex solis convalescentium responsis collegisse. Semel tantum prodromorum mihi copia fuit, quod gravioris tamen forsitan momenti; aeger enim ipse medicus erat. Hic enim post dysphoriam quamdam, magna animi afflictio potita est viro olim sereno et omni timore libero, corpore alias sano et robusto gaudente; accessit appetitus defectio et taedium ipsum ciborum. Altero die animi illa afflictio excipiebatur in parva temporis momenta exsultatione, interquam argutiae jocosissimae in lumen promebantur. Deerat alvus — per duos jam dies — albicabat lingua, orae et summa pars ejus subrubrae erant; arteriarum pulsus quoad frequentiam normales, quoad rhythmum vero rapidiores. Sub vesperam aeger conquerebatur de malo capitis, de ejus gravitate et obtusis doloribus et de aucto calore, quamvis disceptatori temperatio imminuta videretur, et in palmis tantum aucta appareret, ita ut, manu sumpta, optime sentirem, quanta cum difficultate calor disceptantis cum disceptati coiret, sentiebat enim punctiones illas urentes, quae calori mordaci propriae esse solent. Urina saepius, sed minoribus quantitatibus quam ex consuetudine reddebatur; ceterum major urinae copia excernebatur, quam ex liquoribus inductis nasci posse putares. Quamquam aeger nihil nisi aquam bibebat, urina pura tamen nunc fuscior (rubicundior) nunc clarior erat. Noctem bene dormiverat aeger, modico sudore affectus, attamen meliore valetudine se gaudere negabat. Ex more etiam illa die negotia sua agebat, tamen languidiorem se sentiebat, praesertim vero in scalis adscendendis querebatur de doloribus surarum, quibus, quum diu substitimus, affici solemus. Supervenerat ventris fremitus ille, et faciei, angulatae propemodum, inerat insolitum quoddam lineamentum, superciliorum contractione inprimis partum. Post meridiem incessit denuo auctae temperaturae sensus, cum frigore quam facile tangendo sentires, palmis tamen exceptis artariarum pulsus, quamvis ad frequentiam normales, tamen debiles et tremulantes. Ad vesperam dexterae manus pollex dolore affectus est obtuso, urgente, immanente et semper crescente, aegro jocante:

Quibus symptomatibus praemissis, vel subito, morbus solemniter noctu, inter undecimam et tertiam horam prorumpit, nonnunquam tamen etiam die. Quod cum aegris accidit, in humum collabi solent. Alterum quum evenit, cum dolore et angore expergiscuntur. Utrisque urina sponte defluit; alvi fluxio, vomitus ceteraque illa in definitione relata symptomata omnia fere simul prorumpunt. Morbi initium.

Ad aegrum talem adgressus, solemniter eum invenies in dorsum recubantem, tranquillum, et quodammodo dejectum, brachia et pedes impudenter extendentem, veluti typho affectum (non multum enim in genere positio illa differt a positione hominis febri nervosa stupida affecti). Facies inducta colore flavo cum caeruleo mixto; genae labuntur, et uti toto in corpore formae tenerae et lineae curvatae rectis et acutis omnino cedere solent, ita praesertim facies angulata (sit venia verbo) apparet; quod praesertim per ossa zygomatica prosilientia efficitur. Bulbus oculi, cujus pupilla immutata, penitus in orbitam retractus, secutis palpebris, quae annulo caeruleo nigricanti et paene nigro sunt circumdatae. Ex oculis, splendore carentibus, et semiclausis, incidit in nos adspectus summa miseria et anxietate plenus, desiderium auxilii et salutis, quod os edicere nescit, circumstantibus arguens *). Aegroti habitus externus.

---

persuasum sibi esse, ut, veniam si pollici daret, totus ille se contraheret. Nonam ad horam dolor ille subito cessavit, simulque aeger melius et serenius se habebat, et in lectum ingressus, mox somno captus fuit. Ad primam autem noctis horam, subito expergefactus, dolore forti et urgente se sentiebat affectum et anxietate immani oppressum. Postea narravit: ardentem quodammodo manum sibi e media vertebrarum columnia in pectoris cavum penetrasse cum animo cordis opprimendi, unde quoque anxietas magna illa esset nata. Cutis frigida erat; arteriarum pulsus debilos et tremulantes; dolor surarum cum inclinatione crus ad ventrem adtrahendi. Tum periculum, quod sibi immineret, suspicatus, famulo tinnitu arcessito, auxilium necessarium advocavit, quo effectum, ut post vomitus et alvi dejectiones iteratas, aeger in modicum incideret sudorem, qui fere triginta sex horas durabat, et post quem praeter magnam lassitudinem aeger satis bene se habebat.

*) Nota. Oculus ille patientissimus, auxilium expetens, conscientiaque qua aegrum, perpaucis tantum remediis existentibus, veluti victimam mortis intuimur, omnia

Non raro conjunctivam vidi rubicundam. Corporis cutis color, non semper idem, a subcaeruleo usque ad caeruleum nigricantem progressus, modo maculatim tantum, modo per totum corpus effusus. Manus, cum a latere dorsali intuearis, formis rotundis caret, ita ut digiti fere quadranguli appareant. in digitorum latere volari plicas illas, lotricibus proprias, animadvertimus, longiores tamen, plures angulos exhibentes, et minoris numeri. Ungues colorem lividum praebent. Pedibus multo rarius plicae illae insunt. Venter collapsus pyramidis paene formam exhibet, cujus cacumen umbilicus Pectus lente sed sine conspicuo incommodo agitatur. Respiratio ipsa aequalis, profunda, placida. Aër exspiratus frigidus, sicuti etiam cutis, quae, non sicca, tangenti sensum praebet corii humidi et frigidi. Arteriarnm pulsus solemniter initio statim sentiri non possunt, et levioribus tantum in casibus rari, parvi, debiles, tremulantes. Lingua saepe flavescente muco obducta, saepe quoque perpura, humida est, frigida, glacialis. Plena conscientia aegro inest, et sensuum functiones ex more fiunt. Decursu morbi non commotus, nullam habet rationem eorum, quae circum ipsum geruntur, et invito tantum et offenso animo quaerentibus respondet voce mirum in modum mutata. Vox enim inter ravim catarrhalem et illam ravim in ultimo phthisis pulmonum stadio apparentem limitata, discrimen illud servat stridore sibilante, symptoma diagnosticum memorabilissimum.

Stadium cholericum s. convulsivum.

Aegris hoc modo jacentibus, respiratio fit difficilior, anxior, haeret. Aegrotus commotior, in lectulo se jactat et suspiria alta dolores, quibus miser excruciatur, demonstrant. Praesertim de sensu quodam anxietatis in scrobiculo cordis et de ardore et rosione in regione epigastrica conqueruntur. Non multo post spasmi tonici accedunt. Surarum musculi intenduntur, et pes, flexo genu, ad ventrem attrahitur, vel, quod tamen rarius accidit, rectus extenditur. Solemniter una tantum extremitas afficiebatur, raro

---

haec, puto, horrore illo nos implent, abs quo nemo in adspectu primorum aegrorum omnino se defendat.

ad femur usque spasmi procedebant, rarius ad extremitates superiores usque, quae tunc, digitis distentis, extrinsecus convertebantur. Nonnullis in casibus spasmos illos in opisthotonum et pleurosthotonum degeneratos vidi. Inter spasmos illos, crebro vero etiam spasmis deficientibus, sedes frequentes aegroti habent. sedes illae, quae, ut supra diximus, unum e primoribus morbi symptomatibus exhibent, initio sunt abundantes, subfuscae, constantes ex intestinorum canalis contentis et interdum etiam e cibis non concoctis. Postea albae evadunt oryzae pituitae similes. Excrementa vero odorem exhalant dulciculum peculiarem, nonnunquam odore omnino carent, saepius autem foetidissime edolent. In genere sedes non nimis frequentes, et nonnunquam penitus desunt. Quantitate fluxionem ventris vulgarem non excedunt, et raro sunt immoderatae. Solemniter post sedes, aliquando una cum iis, vomitus oritur, nulla enim nausea nec vehementi labore praecedente, multa cum facilitate et sine minima intentione, aegrotus primum, quae paulo ante sumserat, postea vero solemniter liquoris subflavi aut excrementorum similis magnam copiam evomit, saepe pituitae frustis, texturae fibratae, permistam. Urina opprimitur, incommodum vero unde oritur nullum; vesica nec tumet nec extensa in altum assendit. Affectio illa, qua spasmi peracerbi vomitu et ventris evacuationibus excipiuntur, saepe, et in infantibus semper, aliquas tantum horas manet, ex more duodecim ad viginti quatuor usque, rarius horas quadraginta octo.

Stadium soporosum.

Tum aegroti tranquilliores fiunt, et e spasmis, evacuationibus vomitusque remissis et mox penitus cessantibus, propinquum ad salutem reditum conjiceres; sed falso. Requies enim illa, pluribus ex ano effluviis materiae pituitosae, caloris chocolatae, vel imo sanguinis coagulati evacuationibus parta, facie autem et cute magis magisque in fuscum prolabentibus colorem: temperatura perpetuo decrescente, et calorem nullum, nisi extrinsecus injectum, exhibente: arteriarum pulsibus fere non existentibus: urina sponte et crebro defluente: — quae igitur requies in magnam inquietem et angorum, quibus aegrotus in lecto huc atque illuc jactatur, mox transit. De calore immani queritur, eoque magis quo est frigidior. Sitis acerrima, qua excru-

ciatur, ut violenter frigidam expetat potionem, eum impellit. Vestimenta non patitur, tegumenta retrudit, et lecto exsilire conatur. Denique vero, languore confectus, in lectum recidit: facie magnis guttis sudoris viscidi et frigidi contecta, et interdum etiam temporibus purpura obductis: oculi deficiunt; tunica cornea tamquam collapsa; maxilla inferior dependet, lingua humida et frigida; spiritus glacialis; respiratio accelerata, anxia, inaequalis, difficilis, suspiria ducens; pectoris et ventris tegumenta spasmo modo tolluntur, modo reprimuntur. Superveniunt nunc animi defectus, et sopor lethargicus; aegroti tranquilliores fiunt, signa vitae magis magisque attenuantur, corpus, fere plumbeum, ad inferiorem lecti partem devolvitur; respiratio fit gravis et rarior et tandem nec tactu nec visu animadverti potest. Denique, et saepe ita, ut circumstantes moriendi momentum fugiat, mors vitae finem imponit, quae ultima jam hora nisi spasmos aliquos nihil vitale praebuerat. Stadii illius durationem rarissime super horas duodecim extensum inveni.

Stadium convalescentiae.

Qui autem morbo illi acerrimo resistunt, restituuntur, requiete ante stadium soporosum superveniente; arteriarum pulsus augentur, quamquam adhuc sint debiles, exiles, vacillantes, intermittentes et interdum etiam sub digitis vix non evanescant. Revertitur calor totius corporis, ab inferioribus ad superiores partes progressus, ita ut primum extremitates, tum truncus et denique facies incalescat. Cutis paullatim mollescit, hic atque illic sudor tepidus erumpit, qui, vaporosus, lenis, mox universalis factus, duodecim et plures adhuc per horas stare solet. Sedes initio candicantes e rufo, post vero subfuscae, biliosae erant, et odoris soliti. Interdum aderat alvus adstricta, saepius vero ventris fluxio, nonnunquam singultu, qui tamen non hic, uti alias, omen pessimum erat, comitata. Revertit quoque urinae excretio; vox clarior, purior, magis normalis est facta, et aegrotus serenius existere et restitutione gaudere coepit.

Morbi secundarii.

Quae cum ita sint, aegrotum mox a valetudine recreatum iri putares, attamen nullum vidi, in quo, quae forte suspicareris, facta esse cognoverim; nam inter signa illa valetudinis convalescentis, subito — saepius ter-

tio vel quarto demum die — aegrotum, valetudinem suam collaudantem, incedebat apoplexia pulmonum, et tamquam fulmine, e claro coelo immisso, aeger diem obibat supremum, dum alius in statum gastricum cum vomitu bilioso et cum fluxione ventris, quae plures per dies maneret, ingrederetur. apoplexia pulmonum. status gastricus.

Ex consuetudine tamen febris typhosa enascebatur. Calor initio vix sensibilis, inaequalis, vagus, subito increscit, totumque corpus fervidum reddit; facies fervescit, oculus fulget, lingua subalba est, arida, vertigo, capitis, praecipue occipitis dolor, per orbitas oculorum quasi extensus, sensuum defectus, adest stupiditas. Arteriarum pulsus initio normalibus vix velociores, quin lentiores, fiunt pleniores et rapidiores. Attamen non multo post parvi adsunt, debiles, rari (50 — 60) intermittentes, et paene sub digitis evanescentes, somni inclinatio incipit, augetur sopor, lethargo vicinus. Solemniter aegri torpore oppressi, somniis turbantur, delirant. Simul multam reddunt urinam, quae inaequalis evadit, modo rubra et aquosa, modo flammans et fusca, modo crassa et fursurea. Interdum alvus obstricta, sed non raro excrementa et urina sponte defluunt. Aeger debilior existit, arteriarum pulsus minores; labra, dentes, et gingiva tenaci pituita teguntur; eadem pituita lingua quoque afficitur, quae aridissima et tremens aut jussu ore protendi nequit; aut exserta, ab aegrotante, rerum oblito, vix retrahitur. Quo imbeciliores nunc arteriarum pulsus et vires vitales, eo magis deliria stuporque crescunt, sudores glutinosi foetidique augentur. Vultus collabitur, aegri vix e sopore expergificantur, respiratio stertens continenter difficilior fit; maxilla inferior dependet, lipothymiae, gangraenae partiales ex decubitu, convulsiones indicant, mortem mox tragoediae finem esse adducturam. Si autem sopor evanescit; sensorium liberius fit, sudorque vaporosus, universalis ingruit; linguaque humida et temperatio normalior evadit; cutem carnesque tractabiles, molles, minusque urentes ostendunt; increscunt pulsus, mollisque unda arteriam aequali rythmo attolit; simulque supervenit somnus dulcis et reficiens: — aeger servatur, et ad bonam valetudinem procedit. Omnibus tamen restitutio in bonam valetudinem lentior evenire solebat. Status typhosus.

Infantes omnino adspectum hydrocephali acuti praebebant.

Differentiae.

Morbi illius modos duos diversos maxime perspicuos et certos observavi, nullumque vidi aegrotum, qui non facile alteri horum modorum potuisset adnumerari. Utrisque communia sunt: vox rauca illa, digitorum et unguium rugae, signa illa miseriae, doloris alti et anxietatis, vultu expressa; respiratio gravis, anxia, gemens; angor et praecordiorum molestia; dolor urens in regione gastrica; extremitatum spasmi tonici acerbi; conscientia plerumque lucida. His vero in tergo tranquille jacentibus, altosque gemitus miserabiliter — trahentibus: illi inquietissimi sunt, cum anxietate se huc et illuc jactant, nervorumque vires multo minus dilabuntur. His marmoreum illum totius corporis, non raro sudore gelido tecti, calorem praebentibus: — manet illis temperatura quaedam; inde corpus minore rigidum gelu; inde pulsus arteriarum plerumque adhuc sentiri, quin frequentes esse possunt. Calore fusco, vel atro horum extremitates tegente: — naturaliores illis sunt extremitates, ad summum livida, aut terrae colorem referentes. Omnibus fere excrementis, urina, saliva, lacrymis, quin vomitu et purgatione — aut ambobus, aut solenniter alterutro — deficientibus hos: — illis adsunt, et vomitus ultro omnia, quae in ventrem sunt dejecta, subsequitur. Illam igitur paralyticam, hanc erethicam appellemus formam.

Forma erethica.

In forma erethica igitur praeter indicia communia invenimus temperationen demissam quidem, sed patentem; pulsus arteriarum sensibiles, quin frequentes; cutis colorem naturalem, ad summum lividiorem. Aegri sunt inquietissimi, se huc et illuc jactant produntque adhuc quondam nervorum vim, unde hic spasmi acriores. Purgatio alvi et vomitus adsunt, et satis fortes quidem, ita ut omnia, quae in stomachum demiseris, vomitus sequatur. Forma illa primitivae, Asiaticae cholerae proprior, saepius vero transit in

Forma paralytica.

Paralyticam formam. In ea observamus haec: frigus marmoreum et rigorem toto in corpore; arteriarum pulsus sentiri non possunt; nonnunquam tamen sentiuntur, sunt autem debilissimi, filiformes et trementes. Cutis livida, fusca, subcaerulea, imo nigrescens, frigido et tenace sudore est obducta. Nervorum virium defectus est maximus, unde spasmi minus acriores et aegroti tranquille in dorso recubant. Excrementa, saliva, lacrymae, haerent;

raro vomitus alvique fluxus simul adsunt, et solemniter alterutrum tantum invenimus, nec numero, nec quantitate copiosum. Formam illam, quae post morbi eruptionem Moscoviae primum observabatur, Europaeam choleram nominares.

Aetiologia. causa proxima.

Quam multorum, aut potius, quam paucorum morborum causam proximam cognovimus! Verissime igitur et acutissime P. Frankius dixit:

> origo et ratio proxima, profundius, quam ut oculo mortali distingui valeat, delitescit. Non enim vel aucta in capillaribus vasculis resistentia et lentor humorum, — non sensorii communis irritatio, — non energiae ejusdem debilitas, vel alia luxuriantis ingenii deliramenta, nodum hic solvunt. (De curandis hominum morbis. Lib. I. §. IV.)

Nulla igitur, ut equidem opinor, excusatione opus erit, me hoc loco nihil de causa proxima novi illius morbi commemorasse *).

---

*) Expositurus vero, quae vehiculi viatorii solitudo peperit, indulgentiam tuam imploro, lector benevole. Impedimentum quodvis ignotum sanguinis decarbonisationi viis solitis obstare videtur, ita ut majori quam usitata carbonis copia repletur sanguis circulationi tradatur. Ibi denuo carbonem excipit et tali modo ad jecur pervenit. Dicunt autem praesertim bilis secretione sanguinem carbone liberari. Quaenam igitur vis in nostro casu, si propositum illud bilis adsequi velit, est excitanda. Ad vim illam excitandam inprimis ad systema gangliorum recurritur. Aucta vero illius systematis vis majorem virium sumptum, ideoque alimenta fortiora, quam ex consuetudine, expostulat. Aucta erit igitur hoc modo sanguinis ad systema gangliorum fluentis copia, unde ad illas partes congestio effecta. Sanguis ille autem primo copia sua, secundo carbone, qui ei inest, systema gangliorum excitat, quod, dum auctam bilis regit secretionem, dum contra corrupti sanguinis affluxum accrescentem pugnat, tandem succumbit, et eo magis quod unamquemque intentione exhaustae vires subsequuntur. Temporis momentum vero, quo nervi gangliorum functionem suam remittunt, erumpentis morbi est momentum. Opinor autem, sedem morbi in systemate gangliorum esse quaerendam, quia enim omnia symptomata: arteriarum pulsus evanescentes, turgoris vitalis defectio, collapsus universalis, cutis gelida, sudore passivo affecta, urina aliaeque excretiones repressae, dejectam funditus circulationem, vi-

Causae praedisponentes.

Neque aetati ulli, nec sexui, nec constitutioni, nec temperamento, nec vitae modo morbus ille parcit. Nihil pensi habet innocentes infantis risus, nihil canos senis capillos; nihil viridem juvenis aetatem, nihil feminae infirmitatem, nihil viri robur. Omnes, hilarem aeque ac tristem, corripit, omnes mactat. Sobrie et simpliciter viventes non secus ac ebriosos et dissolutos, victimas abducit, optima valetudine gaudentes non minus quam eos, qui morbis excruciati miseram trahunt vitam ei succumbunt. Mente captos, uti etiam feminas gravidas, (duabus ipse adstiti) ab eo interfectos vidi. Nemo uno verbo, ne ille quidem, qui vix brachiis ejus atrocibus se extricaverit, tutus existit a monstri invasione. In universo tamen major virorum quam feminarum numerus ab eo correptus et interfectus est, in ratione quidem trium ad duos. Sicuti generatim ebriosi homines et dissoluti magis ad morborum invasionem idonei, sic hic quoque, quod praesertim clarius apparebit, quum numerum aegrotantium diebus Martis et Veneris — qui per dissolutam Solis et Lunae diebus vitam morbo correpti essent — conferre volueris cum aegris ceterorum dierum. Notabile esse censeo, quod omnes fere, quos ego viderim, olim febri intermittente, et multi pluribus quidem vicibus, laborassent.

Causae occasionales.

Quot qualesque res citantur et accusantur morbi illius causae fuisse. Intentiones, animi affectus, timorem, terrorem, excitationem, ventrem cibis obrutum, ciborum asperorum, durorum, corpus inflantium, tenacium, pinguium, acidorum, salsorum, corruptorum, frigidorum vel frigidantium usum, piscium consumptionem, spirituosarum et fermentatarum potionum, quin aquae abusum; vestes leviores, perfrictionem, atmosphaeram, aërem modo humidiorem modo frigidiorem, modo calidiorem, vim electricam, aquam, siderum constellationem (cui ultimae rei etiam veri aliquid non deest, crescente enim luna, numerus aegrotorum augetur) et quaelibet alia nominaverunt. Non infitias eo, varias illas causas morbum gignere posse, probabilius tamen mihi

---

rium omnium circumagentium cladem, ideoque omnium functionum, qua ex gangliorum systemate nascuntur, solutionem indicare videntur.

videtur: causam esse ignotam. Multum enim dubitationis habet sane, quod diversissimae res diversissimis momentis in tot et tam diversas nationes eandem semper habeant vim, semperque eundem adducant morbum; quod causae tam vulgares in paucos tantum homines singularem illam habeant vim, dum in aliis eodem tempore et eodem loco nullos nisi solitos morbos efficiant. Iisdem fere cibis olim homines, uti nunc vescebantur et tamen cholera non afficiebantur; homines ad fluminum vel maris ripam habitantes, frigoris injuria non minus quam nunc laedebantur, et tamen cholera liberi existebant; homines qui nec ad aquam, nec in regionibus demissis, sed in altis et salutaribus locis habitabant, cholerae afficiebantur; homines certissimam in victu legem secuti, et nullo modo frigoris injuria laesi, nulla causa particuliari praesente (convictu cum aegris tamen excepto) choleram nanciscebantur. Liquet ergo, necessario aliquid corpori inesse, quod illum praesertim, nec alium ullum morbum pariat. Quid vero sit, ad hoc usque tempus ignotum, multa conjiciunt, nihil demonstrant. Particularem quendam aëris habitum adesse, nonnulli statuunt. cur autem morbus modo hic, modo illic erumpit; cur magnam quandam plagam penitus liberam relinquens, saepius parvum feriit punctum, et ex centro illo in regiones circumjacentes se spargit, quae multis exemplis rure et in urbibus collectis, facile demonstrare possum? Fieri nullo modo posse censeo, ut in cholera ullum ostendas indicium, quo morbi decursum ex aliquo admosphaerae impulsu deducas, et usque ad hunc diem nulla disceptatione in aëris mixtione commutatio reperta est, quae tam miri effectus partem etiamsi aliquam explicare posset. Indicia ceterum illa pervulgata: ventris ille susurrus; alvi fluxiones, modo cum nausea conjunctae, modo sine ea exsistentes; lingua modo pura, modo obducta; surarum spasmi illi, quibus subito juventus robusta afficiebatur; anxietas illa praecordiorum, nullo animi affectu praemisso; frigus illud extremitatum; ad sudorem inclinatio illa, nec vestibus nec temperatura parta: omnia haec observantur demum, quum morbus jamjam erupit, pluribusque locis aegri exsistunt. — At enim aquae magna sane est in morbum vis.

Flumina quidem sequitur libenter; omissa tamen vulgari illa observatione: flumina naturales negotiationis esse vias, id tantum percontor: siccisne aliena sit cholera locis? Contradictionem illam expedire quidem conantur, dicentes: choleram in siccis regionibus tum demum apparere, quum hominum numerus conditiones ibi genuerit, humore ortis similes, quod vero lepide, sed forsitan non vere est dictum. Contagio autem admisso, facillime per illud explicarentur contradictiones, et multo quidem, si singularia quaedam omittas, contagium ratum esse jubent *) inprimis vero morbi per flumina et vias ef-

---

*) Nota. Quamquam propositum mihi est, copiosius de illa re alio loco disserendi, pauca tamen referam, quibus opinio illa comprobetur.

1) Servus quidam frumentum Gedano, tum temporis nondum penitus incluso, exportans, alteram post profectionem noctem in vico quodam egit. Paucis autem post ejus discessum horis praeterlapsis, diversorii magistra aegrescit, moritur, eodemque modo altera diversorii persona. Servus autem ipse, vix domum regressus perinde aegrotescit et diem obit supremnm.

2) Poloni milites, qui transportarentur, noctem egerunt in vico, cui nomen est Kurche-Koenige. Paucis diebus post caupo cholerae succumbit. Funera magna parantur. Advenit quoque hominis soror, quae, immodico dolore correpta, cadaveri se injicit et oscula figit. Sepultura perfecta, ad vicum suum, qui unius diei iter abest, situque gaudet salutari et excelso, revertitur, ibi aegrotescit et post eam undecim alii, quorum novem vita excesserunt.

3) Cohors militum per oppidum Illuxt progressa, plures ibi aegrotos reliquit; ab illo temporis momento ibi morbus grassabatur et in terras circumjacentes est effusus.

4) Eadem militum cohors aliud praeter illud oppidum, ni fallor Selbach, morbo infecit.

5) Duarum casarum rusticarum memini, horto tantum sejunctarum. In altera vero morbus grassabatur dum alterae habitatores separatione illa optima veletudine gauderent. Tempore satis longo praeterlabso, domi infectae magister emoritur, alteriusque domus femina furtim transcendit, ad cadaver intuendum. Mox aegrotescit et tunc in sua quoque domo morbus effusus est.

6) Rusticus, secessione soluta, vestimenta obsoleta emit Gedani, inter quae vestem quam statim induit. Domum reversus, emoritur symptomatibus cholerae manifestis, et aliae quaedam familiae ejus personae eum sequuntur.

7) Regiomontii femina cum filia adulta aegrotum suum maritum, caementarium, relinquit et ad propinquos suos secedit. Hic vero, pariter ac filia, aegrotescit, am-

fusio, et praesertim dilatatio illa ex centro quodam in terras circumjacentes profectio. Infitias ire tamen non possumus, casus interdum existere, quibus vis contagiosa dubia fiat. Omnibus vero numeris cholera morbo a peste discrepante, illud tamen utrique commune: quaestionem sintne contagiosae nec ne, relinquendam esse observationibus futuris, variis et ab omnibus praejudicatis alienis.

Morbo illo tam acriter, et tam rapide decurrente, pessimam tantum prognosin instituere possumus. Aegrotorum circiter bis tertia pars vita excedit. In universum forma erethica faustiorem se praebuit, quamvis huic quoque prognosin pessimam tantum statuere liceat. Stadium cholericum in Prognosis.

---

baeque extinguuntur. Feminae duae, in quarum domo decesserunt, exemplum earum imitatae, ad necessarios suos pariter confugiunt. ibi vero perinde aegrotescunt et vitam dimittunt. Illi quoque fugiunt, moriuntur; homines autem ad quos confugerant in domicilio remanent et ex iis quoque nonnulli decedunt.

8) Toto in itinere Regiomontano Berolinum usque, pluribus locis choleram reperi, at in talibus tantum, per quae magna via ducit. Caeterum loca illa semper fluminibus adjacebant et a nautis ergo frequentabantur; aut erant diversoria, in quibus viatores noctem agere solerent.

9) In Baltici maris littore vicus est, Oslanin, ni fallor, appellatus, qui rivo percurrente in duas dividitur partes. Dum hac ex parte omnes fere aegrotescerent et morte arriperentur, illinc, societatem horum vitantes, omnes optima gaudebant valetudine.

1) Alius, quem observavi, casus est hic: Ex infecta urbe Stolpe homo, in diem opus facere solitus, vicum Felchow venit, in domini domo aegrotescit, moritur. Nunc primi aegrotescunt domus illius habitatores, poste vero etiam vici incolae. Femina quadam illic mortua, vestes ejus sorori in oppido Angermünde habitanti mittuntur. Illic famula, quae vestes illas purificaverat, aegrotescit et post eam alii quidam nonnulli domus habitatores, prospere tamen evenit, ut morbus in domo illa restringeretur, nec ulterius proferretur.

11) In vico nobis proximo, cui Wilmersdorf nomen est, primus aegrotescit bubulcus, dein uxor ejus, porro infantes tres, qui feminae aegrotae adfuissent, tum femina, quae vestes defunctorum purificarat, et alii praeterea nonnulli, quorum contactus cum aegris maxime manifestus.

quo neminem vidi perculsum, illud est, in quo, idoneis quidem remediis adhibitis, salutis spes adhuc aegroto remanet, spesque illa eo erit major, quo maturius tractatio inceperit, inprimis quum tuto et fortiter agatur. Si hoc loco successerit tibi sudores procreare tepidos, vaporosos, universales; si in excrementis bilis apparuerit, urinaeque sejunctio reverterit, fracta erit morbi vis, et siquidem vitae conservationem polliceri non potuerimus, aegrotus tamen, praecipue si calor revertens ab inferioribus ad superiores corporis partes, progrediatur, non directe cholerae victima cadet. Morbo autem ad stadium soporosum usque progresso, qualecunque auxilium serius accesserit: morte corripietur aeger. Magnus quum est collapsus, spasmi acres, quum opisthotonus existit, sedes desunt; summum tum adest periculum, quod multo minus, quum sedes frequentes adsunt. Ne nimiam quoque colloca fiduciam in virium statu; raro enim virium defectus periculo respondet. Homines, qui sponte in nosocomium — uti vidi — venerant, paucis horis post vita erant defuncti; alii, qui faciliter se in lecto erigebant sponteque balneum incedebant, non minus rapide moriebantur; dum alii, summa imbecillitate fracti, morbo emergerent. In universum homines robusti et fortes malam praebebant prognosin. Singultum esse periculosum indicium, non reperi, contra miliaria, cutis color nigrescens, urina sponte defluens, sedes fuscae et sanguinolentae proximam solemniter praedicabant mortem. Quum autem revera tibi successerit crises illas adducere, pessima tamen continuo timeas, et attentionem duplices, ne, quum brevem post levationem, vultus ruber, duri arteriarum pulsus, caput turbatum, linguaque rubra vel fusca, arida et rimata adparuerint, temporis momentum negligas, quo curatione rationali febris nervosae vis rumpatur, aut pulmonum apoplexia impediatur.

Therapia. Nulla specifica! Viam, qua curationem natura efficiat, indages, adducas, aegrotum ad eam praepares, ut etiam debilitata vis medicatrix naturae efficax esse possit. Provoces igitur morbi crises, adjuves aut limites, unius cujusque aegri constitutione pro basi sumpta. Inde existunt indicationes hae:

1) Circulationis et actionis periphericae restitutio.

2) Virium temperatio, eo fine, ut ex altera parte, circulatione restituta, systema gangliorum sanguinis actionem regat, impediatque hoc modo impetum ejus ad organa aut morbo debilitata aut olim jam debilia; altera ex parte vero, ut ipsa illa organa, interna sua vi, sanguinis impetui resistant, sustineantque systematis gangliorum liberati laborem.

3) Curationis modus, casui concreto aptus et sufficiens ad crises provocandas, aut dormientem vim medicatricem expergefaciendo, aut auxilium ferendo praesenti et agenti.

Ut vero indicationes illas exsequaris, methodo excitante per omnes ejus partes uti coneris; et, quum multa ad hoc referantur, velocissimam quidem et fortissimam ut promas excitationem: subtilissima et fortissima interne et extrinsecus excitantia citatim sunt provocanda. Interne praesertim des: tincturam valerianae aethercam, camphoram, spiritum sulphurico-aethereum, aetherem phosphoratum, oleum cajeputi, ammonium carbonicum pyro-oleosum, asam, infusionem menthae piperitae, chamomillae. Extrinsecus adhibeas: spirituosa, spiritum angelicae compositum etc., sinapismos, tincturam cantharidum, tincturam capsici annui, aliaque acria, fricatus modicos, balnea tepida, caloris, frigoris usum, etc. —

Vulgari illa sanandi ratione, qua aegrotus, in balneum tepidum ingressus, sinapismis saccisque, furfure fervido repletis, contectus et excitantibus liquoribus perfrictus *), fluida incitantia, opio **) permista, theaeque in-

*) Nota. Perfrictio illa, si ab hominibus excercitatis perfici non possit, omnino potius remittenda. Homines enim illi non excercitati, huc et illuc se commoventes, graviorem excitant aëris transitum, quo facillime aeger laedatur. Tum autem nimia perfrictione et impressione enasci potest cutis conditio, qua illa sudori penetrando recludatur potius, quam aperiatur.

**) Nota. Opium, quantum equidem observari, semper adducebat conditionem typhosam, ideo in stadio cholerico et soporoso non adhibuimus, asaque compensare sumus conati.

fusa calida est bibiturus, omissa: ad illam me converto methodum, quam in nosocomiis Regiomontanis optimo eventu adhibitam vidi, quaque ipse non minus prospere saepissime usus sum.

Quam celerrime fieri potest, balneo 28—29 graduum R. aeger imponitur, vesica, glacie plena, capiti injecta. Sexta horae parte praeterlapsa aeger superinfunditur quibusdam aquae gelidae ollis, tum duabus vel tribus situlis. Tum stramentis calidis involvitur, vasibusque aqua calida repletis contectus, theam calidam bibit et semihoratim viginti guttas sumit mixturae hujus:

℞ Camphorae rasae grana quindecim
solve in
spiriti sulphurico-aetherei Drachma.

Maxime refectus post balneum aegrotus sibi videbatur, ejusque iterationem poscebat. Cutis, lingua et spiritus incalescebant, arteriarum pulsus sentiri poterant. Calefactu vero non immanente, sudore non universali nec vaporoso, frigore redeunte balneum illud, pro casus acritate, secunda quarta aut sexta quaque hora iterabatur. Solemniter hac via recreatio advenire solebat die secunda.

Simplicem hancce aegri tractandi rationem, quae utrique morbi formae omnibusque ejus stadiis adhiberi potest, efficacissimam esse ad hoc usque tempus experientia sum edoctus. Adjicias vero haec: Deficientibus excrementis saevissimum esse morbi decursum. Ne igitur dubites, sedibus omissis: clysmata; vomitu deficiente: emeticum e pura Ipecacuanha praescribere. Spasmis, alvi fluxione et vomitu tam acriter erumpentibus, ut symptomaticam tractandi rationem efflagitarent, praeclaros asae, per clismata et intrinsecus hac ratione datae vidi effectus:

℞ Camphorae grana decem
solve in
Spiriti sulphurico aetherei drachmae dimidio
adde:
Tincturae asae foetidae drachmam.
M. D. S. semi horatim viginti guttas.

Ventris dolores acerrimi solemniter evanescebant, XV—XX hirudinibus, quae optime quidem sugerent, oppositis.

Quum igitur illa tractandi ratione prospere procedamus, quum ad recreationem appropinquet aegrotus, paululum augeantur arteriarum pulsus, sudorque prorumpat; incitamenta, aliud post aliud, et tandem etiam ollas calefacientes removeas. Nulla, si fieri possit, adhibeas medicamenta, eo attentius vero aegrum observes. Si brevem post recreationem vultus ruber, venarum pulsus duri tensioresque evadunt; si caput turbetur, doleat, colli arteriae fortiter pulsent, aut pectus regiove stomachi dolore afficiatur; lingua si fiat rubra, fusca, arida, rimosa; urinaque haerescat: — tunc dentur calomelanos grana duo cum camphorae grano uno vel granis duobus; hirudines capiti, alvo pectorive apponantur, imo accedatur ad venae sectionem, quae tamen, ob magnam collapsum, ab ea partam, si fieri possit, melius vitetur. Congestiones si modicae adsint, acidum Halleri sufficiet. — Sin autem devolvatur febris nervosa stupida, tractetur remediis solitis, adhibeanturque ex consuetudine, verbi causa: valeriana, serpentaria, angelica, arnica, camphorae, liquor ammonii succinici, moschus etc. Sin vero contra pro statibus illis devolvatur status biliosus seu gastricus, ammonio muriatico depurato removeatur, quo non sufficiente, detur emeticum ex ipecacuanha constans. Nonnunquam remanent vomitus frequentiores, alvique fluxiones, quas turbare nolis, nisi aegri vires ab iis afficiantur. Quod quum accidat, contra alvi fluxionem dentur clysmata ex asa et amylo confecta, contra vomitum vero pariter asam vel bismuthum vel emplastrum cantharidum, stomacho impositum, imo cauterium actuale adhibeas. Contra alvum obstructam probatum est oleum ricini. Quod ad diaetam attinet, notes: in prioribus morbi stadiis aegrotos conqueri solere de siti acri, theaequae calidae loco aquam frigidam postulare. Voto illo, postquam ejus innocentiam perspexeramus, saepe indulsimus, cum grano quidem salis, et nunquam de malo eventu sumus conquesti. Appetitu redeunte dentur juscula alentia, jus carnis cum oryza, cum medulla cycae, etc. Appetitus qui, morbo devicto, mox revertitur, curam ulteriorem reddit supervacaneam. Ceterum aegri pro ratione morbi, tam saevi, celerrime convalescunt.

Therapia morborum secundariorum.

Sectionum. Summa. Inspectio externa.

Cadaveris adspectus in universum correspondet cum adspectu aegri viventis. Invenimus igitur faciem illam cholericam, in eo tantum mutatam, quod annulus fuscus, qui collapsum et semiclausum oculum ambit, lucidior appareat. Cutis color, sicuti in vita, caeruleus, violaceus, per totum corpus aut maculatim, marmoratus. Alvum magis collapsam non vidimus: brachii inferioris autem tendines intensae existunt, item tendines cruris inferioris, et haud raro pedis digiti extensi et erecti. Digitorum semi curvatorum cuti insunt adhuc plicae illae peculiares. Memorabile tamen hoc loco mihi videbantur, pollicem, caeteris digitis inflexis, extensum exsistere, et ita positum, ut ejus extremum contra ultimum indicis membrum converteretur.

Sectio abdominis.

In cavo abdominis aperiendo odor oritur peculiaris, qui difficile describatur, putridus, dulciculus. Mollibus vero tegumentis remotis, intestina splendore omni carentia, apparent, adiposa — pituitosa, digito circumlitionem illam communicantia. — In stomacho extrinsecus nihil extraordinarii vidimus; intrinsecus vero planum internum lactea caneaque pituita contectum apparebat, qua remota, membrana mucosa ruberrima, imprimis vero in curvatura magna, existebat. — Jecur quo ad volumen et consistentiam normale, multo sanguine erat repletum; vasa omnia apparebant maxime extensa. Pluribus vicibus venae portarum diametrum duobus pollicibus laxatam vidi. — Vesica bilis fusca turgebat felle, quae tamen modico pressu per canalem solitum deflueret. — Lien, quo ad volumen normalis, mollissimus existebat atroque sanguine repletus. — Pancreas, sicuti glandulae ceterae auctum apparebat, alioquin normale. — Intestinorum canalis planum externum idem, quam in enteriti; vasum textura nimirum sanguine fusco infecta, erat circumdatum. Internum ejus planum materia inodora, albicante, caseata repletum, qua remota, rubrum, modo clarioris, modo fuscioris coloris se praebebat. In intestino crasso non raro apparebant singulatim maculae quaedam rubrae, centrum excelsum, subrubrum exhibentes. Ceterum in colone descendente saepius stricturas observavi. — Omentum et peritonaeum multis vasibus venosis erant injecta. — Glandulae mesenteriales magnopere amplificatae. — Liquores in cavo abdominis collectos nunquam inveni. — Renes et urethrae normales vidi; vesicae vero statum memorabilissimum et constanter mutatum.

in ovi gallinacei magnitudinem contracta, jacebat, post arcum pubis retracta. Persecanti mihi videbar massam perscindere cancrosam; membranae existebant densatissimae, membrana mucosa rubefacta, spatiumque internum tantopere restrictum, ut vix unciam liquoris contineret, spatiumque illud massa alba et pituitosa erat repletum. — In feminis, quibus cetera pariter existebant, ligamenta uteri et ovarium coloris erant subrubri, aeque ac planum internum uteri, cujus caverna non raro atro sanguine erat repleta. — Vasa magna erant omnia extensa.

Pulmones praeter sanguinem fuscum, quo saepius admodum erant repleti, extraordinarii nihil praebebant. — Venae cordisque vasa extensissima et nonnunquam in finibus ramorum sanguinis excretiones apparebant. — Venae cavae et arteria pulmonis atro turgebant sanguine, aeque ac proventriculus et ventriculus dexter. In ventriculis et vasibus inveniebantur concrementa polyposa, tanquam in hominum, carbonario vapore suffocatorum cadaveribus, quocum speciem in universum magnopere exhibent cholera morbo necati. Ceterum et cordis et ceterae carnis color vulgaris, densitate non deminuta. Ceteroquin praeter rubefactam gutturis capitis et arteriae asperae membranam mucosam nihil abnorme in cavo pectoris observavi. Sectio pectoris.

Pauca et in aliis morbis jam pridem notata hic mihi ex capitis sectione sunt commemoranda. — Arachnoidea tamquam massa farinacea praesertim gyri imposita, obducta apparebat. Pia mater multis vasibus injecta. eundem statum cerebrum praebebat. dissecanti enim crebra puncta subrubra exhibebat. Ventriculis lympha pauca inerat; plexus valde rubescebant hydatidesque crebras continebant. Sectio capitis.

Duabus in vertebrae sectionibus, ad inferiorem medullae partem, inter duram matrem, cujus planum anterius atri sanguinis excretionibus erat contectum, et inter arachnoideam, massam aquosam, frequentem, observavi exsudatam; et hoc loco etiam vasa magnopere erant injecta. Sectio columnae vertebrarum.

Acuratissime gangliorum nervos mihi perscrutanti, nec hoc loco, nec in principalibus extremitatum nervis memoriae digni quidpiam, praeter neurilematis ruborem modo fortiorem, modo minorem, obviam ivit.

CURRICULUM VITAE.

Ego Carolus Henricus Ferdinandus Falkenthal, ecclesiae evangelicae secundum Lutheri formulas adscriptus, Berolini die Aprilis sexto, anni MDCCCVI patre natus sum dilectissimo Friderico Falkenthal, quem jam defunctum maxime lugeo, matre Maria, e gente Prenzlowiana, quam hunc usque diem integram faustissimum mihi numen servavit. Primis literarum rudimentis imbutus anno MDCCCXX in Gymnasium Fridericum Guilelmum, quod rectore optimo, benignissimoque Spilleke floret, sum receptus, ibique per sex annos studiis humanioribus operam dedi. Anno autem MDCCCXXVI, maturitatis testimonio munitus, universitatem Fridericam Guilelmam adii, et ab Ill. Boeckh, t. t. Rectore magnifico, accademicorum civium numero adscriptus, et ab Ill. Link, t. t. Decano spectabili, die Octobris octavo, in gratiosi Medicorum ordinis album sum inscriptus.

Ex illo tempore hisce clarissimorum virorum interfui praelectionibus. Ill. Boeckh Taciti historias; Ill. Lichtenstein zoologiam; Ill. Hermbstaedt Physicen experimentalem, et Pharmaciam theoreticam quam practicam; Ill. Mitscherlich Chemiam experimentalem; Ill. Link Botanicen et Toxicologiam, et plantas, quas vocant: cryptophyta; Ill. Schulz plantarum officinalium historiam naturalem et botanicen; Ill. A. de Humboldt geographiam physicam; Ill. Hegel logicen, psychologiam et antropologiam mihi tradiderunt.

Tum hos summos viros praeceptores habui:

Ill. Casper de methodologia et encyclopedia; Ill. Schlemm de Angiologia

et neurologia; Ill. Knape de osteologia, splanchnologia et syndesmologia; Ill. Rudolphi de anatomia corporis humani sani, de anatomia organorum sensuum et entozoologia; in excercitationibus anatomicis; de physiologia; de anatomia comparata; de anatomia pathologica.

Ill. Eck pathologia generali: Ill. Hecker therapia generali et semiotice; Ill. Horn pathologia et therapia speciali; morborum mentis nec non syphiliticorum curatione; Ill. Osan materia medica; Ill. Casper arte fromulas medicas concinnandi me imbuerunt. Ill. Sundelin de morborum cum materia pathologia et therapia; Ill. Wagner de pathologia et therapia speciali; de medicina forensi, de politia medica audivi.

Ill. Rust chirurgiam generalem et specialem; Ill. Kluge artem obstetriciam; Ill. Jüngken oculorum morbos et aciurgiam me docuerunt.

Institutionibus denique practicis in clinicis chirurgicis Ill. de Graefe et Ill. Rust; in ophthalmiatricis Ill. Jüngken; in obstetriciis Ill. Kluge; in medicis Ill. Bartels et Ill. Wolff interfui.

Tentaminibus autem et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, omnibus hisce viris illustrissimis summas, quas possum, gratias palam ago, ac fore spero, ut dissertatione thesibusque palam a me defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Habent plantae calorem indigenum constantem.

II.

Pulsus non semper indicat nec vetat venaesectionem.

III.

Cholera morbus minus quam bellum populos afflixit.